I
137998
Incunabel

E.S.

I

137298

Incunabel

In hoc libello Continentur

¶ Septenaria ſodalitas litteraria Germanie
¶ Auſonij Sententie ſeptem Sapientum ſe-ptenis verſibus explicate.
¶ Eiuſdem Auſonij ad Drepanum de ludo ſeptem ſapientum.
¶ Epiſtola ſancti Hieronymi ad magnū Oratorem vrbis de legendis ⁊ audiēdis poetis.

D10.

Septenaria ſodalitas Litteraria Germa....

περὶ τῆς ἑβδομάδος

Septem caſtrenſis Danubianus

SI clara grecie recenſeo lumina
Erraticos ſeptem globos vincencia
Vicinitatis rite munus exequor
Seruant eoas graius et gete plagas
Qua pontico ſeptem hoſtijs hiſter mari
Illabitur ſeptemplici haud nilo minor
Hinc nomen eſt ſeptem datum caſtrenſibus

Dantiſcanus Viſtulanus

MOnita ſeptem eſt Rhoma collibus ſacris
Quos inter edibus ſuperbis arduus
Suum potens tarpeius extulit caput
Muſis palatinus ſacer: cauum incolunt
Aues auentinum: cupido celium
Sed exquilinus et quirinalis pium
Jouem vident in viminalis vertice

Pomeranus Codoneus

MEtropolitanas ferox alemania
Vrbes habet ſeptem vt domus thomulea
In collibus ſeptena templa condidit
Treueris vetuſta et dicior colonia
~~Et ſaxonum~~ terris madeburgum nobile Moguntiacu
Et littorales arcticum prope circulum
Premenſis et rigenſis vrbs ſauromatum

Albinus Lüneburganus

SVperba cecropis bifrontis patria
Fecunda que artis edidit ſeptem ſacras
Septem ſophie gloriatur lumina
Habere: quis ſeptena mundi triplicis
Stupenda cedant plurimum miracula

Pigri bootis ſyderi ſeptemplici
Vicinus : hec ſeptena luſi carmina

¶ Alpinus Drauanus

SAcratus eſt in orbe ſeptenarius
Informe mundi quo chaos formam induit
Quo phebus alto fulſit : et micantia
Certa ferebat lege celum ſidera
Quo terra pontus aer et facta omnia
Natura quo completa: ſeptimo die
Omni quieuit a labore conditor

¶ Rhenanus Vangioanus & Moſelanus

CElo vt recurrunt ſeptem amica ſidera
Terre ſuis cyclis : et orbibus vagis
Mortalia et noſtrum genus regentia
Sic terra mater omnium ferax tulit
Septem viros quibus ſuperba grecia
Se iactat eruditione maximam
Mundum beaſſe mente: luce: gloria

¶ Necaranus Hercinianus

HEctor ſophos graios ſtupere deſine
Achaicis perenne qui viuax agris
Dedere nomen: dote palladis ſacre
Monarcha romanus poteſtas ceſaris
Septem ducum hoc euo creatur dexteris
Germana viuis quis virebit gloria
Rheni et fluenta gloriantur turgidi

¶ Sentencie ſeptem ſapientum ſe-
ptenis verſibus explicate Auſonij.

¶ Bias Pricneus

Que nam ſumma boni? mens que ſibi conſcia recti
Pernicies hominū que maxima? ſolus homo alter

¶ Quis diues? qui nil cupiet. quis pauper? auarus
Que dos matronis pulcherrima? vita pudica
Que caſta eſt? de qua mentiri fama veretur
Quod prudentis opus? cum poſſit nolle nocere
Quid ſtulti proprium? non poſſe et velle nocere.

¶ Pittacus Mityleneus

Loqui ignorabit qui tacere neſciet
Bono probari malo q̃ multis malis
Demens ſuperbis inuidet felicibus
Demens dolorem ridet in ſe litium
Pareto legi quiſq͡ꝫ legem ſanxeris
¶ Plures amicos re ſecunda compares
¶ Paucos amicos rebus aduerſis proba

¶ Cleobolus Lydius

Quanto plus liceat tanto libeat minus
Fortune inuidie eſt immeritus miſer
Felix criminibus non erit diu
¶ Ignoſcas alijs multa: nihil tibi
Parcit quiſque bonis: prodere vult bonos
¶ Maior meritis gloria non datur
¶ Turpis ſepe datur fama minoribus

¶ Periander Corinthius

Nunquam diſcedat vtile a decoro
Plus eſt ſolicitus magis beatus
Mortem optare malum timere peius
Faxis vt libeat quod eſt neceſſe
Multis terribilis caueto multos
Si fortuna iuuat caueto tolli
Si fortuna iuuat caueto mergi

¶ Solon Athenienſis

Tunc dico beatam vitam cum pacta facta ſunt

Par pari iugato cõiunx: quod impar eſt diſſidet
Non erunt honores vnqnam fortuiti muneris
Clam coarguas propinquũ palã laudaueris
Pulchrius multo parari: quã creari nobilem
Certa ſi decreta ſors eſt: quid cauere proderit
Siue ſint incerta cuncta quid timere conuenit

Chilo Lacedemonius

Nolo minor me timeat: deſpiciatqꝫ maior
Viue memor mortis immemor, vt ſis
Viue ſalutis memor egram fugiasqꝫ mentem
Triſtia cuncta exuperans aut animo aut amico
Tu bene ſi facias non meminiſſe fas eſt
Grata ſenectus homini parilis iuuente
Illa iuuentus grauior que ſimilis ſenecte.

Thales Mileſius

Turpe quid auſurus te ſine teſte time
Vita perit: mortis gloria non moritur
Quid facturus eris dicere ſuſtuleris
Crux eſt ſi metuas vincere quod nequeas
Cum vere obiurges ſic inimice viuas
Nil nimiũ ſatis eſt: ne ſit et hoc nimium
Pauca loq prudens multa ſolet stolidus

De ſepptẽ ſapiẽtibus ex greco tranſlatũ

Septenis patriam ſapientum nomina: voces
Verſibus expediam: ſua quemqꝫ monoſticha dicent
Chilo cui patiens lacedemon noſcere ſe ipſum
Periander trepidam moderare corynthius iram
Et mitylencis nimium nil pittacus oris
Menſuram optimum ait cleobulus lyndius in re
Expectare ſolon finem decet ortus athenis
Plures eſſe bias prauos quem clara priene
Mileti fugiſſe thales vadimonia alumnus

Decij magni auſonij ad Drepanum pacatū proconſulem De Ludo ſeptem Sapientum.

Gnoſcenda iſthec: an cognoſcenda rearis
Attento drepani perlege iudicio
Equanimus fiam te iudice: ſiue legenda:
Siue tegenda putes carmina: que dedimus.
Nam primum eſt metuiſſe tuum pacate fauorem:
Proxima defenſi cura pudoris erit.
Poſſum ego cenſuram lectoris ferre ſeueri:
Et poſſum modica laude placere mihi.
Nouit equus plauſe ſonitum ceruicis amare:
Nouit ⁊ intrepidus verbera lenta pati.
Meonio qualem cultum queſiuit homero
Cenſor ariſtarchus: normaqꝫ zenodoti.
Pone obelos igitur puriorum ſtigmata vatum:
Palmas non culpas eſſe putabo meas.
Et correcta magis: ꝙ̃ condemnata vocabo:
Apponet docti que mihi lima viri.
Interea arbitrij ſubiturus pondera tantī.
Optabo vt placeam: ſi minus vt taceam.

Prologus.

Septem ſapientes nomen quibus iſtud dedit
Superior etas: nec ſecuta ſuſtulit:
Hodieqꝫ in hortis tam paliati prodeunt:
Quid erubeſcis tu togate romule?
Scenam ꝙ introibunt tam clari viri?
Nobis pudendum hec non ⁊ atticis quoqꝫ:
Quibus theatrum curie prebet vicem.
Noſtris negotijs ſua loca ſortito data:
Campus comitijs: vt conſcriptis curia:
Forum atqꝫ roſtra ſeparatis ciuium.
Vna eſt athenis: atqꝫ in omni grecia.
Ad conſulendum: publici ſedes loci:
Quem in vrbe noſtra ſero luxus condidit.
Aedilis olim ſcenam tabulatam dabat
Subito excitatam nulla mole ſaxea.

Murena ſic ⁊ gallius: nota eloquar:
Poſt q̄ꝫ potentes: nec verentes ſumptuum:
Nomen perenne crediderunt: ſi ſemel
Conſtructa molis ſaxeo fundamine:
In omne tempus conderet ludis locum:
Cuneata creuit hec theatri immanitas.
Pompeius hanc ⁊ balbus: ⁊ ceſar dedit
Octauianus concertantes ſumptibus.
Sed quid ego iſthec? non hac cauſa huc prodij
Vt expeditem quis theatra: quis forum:
Quis condidiſſet primas partes menium:
Sed vt verendos diſq̄ꝫ laudatos viros
Pregrederet agere quid vellent ſibi
Pronunciare ſuas ſolent ſententias:
Quas quiſq̄ꝫ prudentum ante vertetit.
Satis profecto que ſint: ſed ſi memoria
Rebus vetuſtis claudit veniet ludius
Ediſſertator harum: quas teneo minus.

ℂ Ludius

Delphis ſolonem ſcripſiſſe fama eſt atticum
Γνωθι σεαυτον quod latinum noſce te:
Multi hoc laconis eſſe chilonis putant:
Spartane chilon ſit tuum nec ne ambigunt.
Quod introfertur τελος ὁρᾶν μακροῦ βιου
Finem intueri longe vite quo iubes.
Multi hoc ſolonem dixe creſo exiſtimant:
Et pittacum dixiſſe fama eſt leſbium
Καιρον γνωθι tempus vt noris iubet:
Sed καιρος iſte tempeſtiuum eſt tempus
Bias prieneus dixit οἱ πλειονες κακοι
Quod eſt latinum plures hominum ſunt mali.
Sed imperitos ſcito: quos dixit malos.
Μελετη το παν Periandri eſt corinthij:
Meditationem eſſe totum: qui putat.
Αριστον μετρον eſſe dicit ludius
Cleobulus: hoc eſt optimus cunctis modus.
Thales: Εγγυα παρα δ᾽ατη protulit

Spondere qui nos noxa ꝙ preſto eſt vetat:
Nec nos monere fenoratis non placet
Dixere quidam: legifer: venit ſolon.

Solon

De more greco prodeo in ſcenam ſolon
Septem ſapientum fama cui palmam dedit
Sed fama non eſt iudicij ſeueritas:
Neq̧ me eſſe primum: veſtrum vnum exiſtimo.
Equalitas quod ordinem neſcit pati.
Recte olim ineptum delphicus ait deus
Querentem quis nam primus ſapientum foret.
Vt in orbe tereti nomen inſertum incideret
Ne primus eſſet: ne vel imus quiſpiam:
Eorum e medio prodeo gyro ſolon.
Vt quod dixiſſe creſo regi exiſtimor
Id omnis hominum ſecta ſibi dictum putet:
Grece coactum eſt:
Quod longius fit ſi latine ediſſeras
Spectare vite iubeo cunctuos terminum:
Proinde miſeros aut beatos diciet:
Euenta quod ſunt ſemper ancipiti ſtatu
Id adeo ſic eſt ſi queam paucis loquar
Rex an tyrannus lydie creſis fuit
Is beatus diues inſanum in modum
Lateribus aureis templa qui diuis dabat:
Is me euocauit: veni dicto obediens:
Meliore vt vti rege poſſint lydij:
Rogat beatum prodeam ſi quem nouerim:
Telena dico ciuem non ignobilem:
Pro patria pugnans iſte vitam obtererat:
Deſpexit: alium querit: inueni aglaum
Fines agellli proprij nunquam exceſſerat:
At ille ridens: quo deinde me ponis loco
Beatus orbe toto qui ſolus vocor:
Spectandum dico terminū vite prius:
Tum iudicandum ſi manet felicitas:
Dictum moleſte creſus accepit ego

Relinquo regem: bellum ille in perſas parat:
Profectus victus regi deditus
At ille captus: ipſe funeris inſtat ſui
Qui fama totum ſe per ambitum dabat:
Voluetis in altum fumidos aer globos.
At pene ſero creſus ingenti ſono
O vere vates inquit: o ſolon ſolon
Clamore magno ter ſolonem nuncupat
Qua voce cyrus motus extingui iubet
Gyrum per omnem ⁊ deſtrui ardentem pyram:
Et commodum profuſus himber nubibus
Repreſſit ignem: creſus ad regem illico
Per miniſtrorum ducitur lectam manum.
Interrogatus que in ſolonem diceret:
Et ſciendi cauſam haberet nominis
Seriem per omnem cuncta regi ediſſerit:
Miſeratur ille: vimq; fortune videns
Laudat ſolonem. creſum in amicis habet:
Vinctumq; pedicis aureis ſecum iubet
Reliquum quod eſſet vite totum degeret
Ego duorum regum teſtimonio
Laudatus ⁊ probatus ambobus fui.
Quodq; vni dictum eſt: quiſq; ſibi dictum putet:
Ego iam peregi qua decauſa huc prodij:
Venit ecce chilon: vos valete ⁊ plaudite.

❡ Chilon

Lumbi ſedendo: oculi ſpectando dolent:
Manendo ſolonem quoad ſe ſe recipiat:
Hicq; pauca diu loquuntur attici
Vnam trecentis verſibus ſententiam
Tandem peregit meq; reſpectans abijt.
Spartanus ego ſum chilon: qui nunc prodeo:
Breuitate nota: qua lacones vſi ſunt
Commendo noſtrum noſce te
Quod in columna iam tenetur delphica:
Labor moleſtus iſte: fructi eſt optimi
Quid ferre poſſis: quid non dinoſcere:

Noctu diuqꝫ que geras: que geſſeris
Ad vſqꝫ puncti tenuis inſtar querere
Officia cuncta pudor honorum conſtantia
In hec ⁊ illa ſpreta nobis gloria
Dixi valet memores plauſum non moror

Cleobulus

Cleobulus ego ſum parue ciuis inſule
Magne ſed auctor quam cluo ſententie
quem dixiſſe exiſtimant.
Interpretare. tu orcheſtre maximus
Gradibus propinquis in xv ſedes
an ſit optimus modus.
Dic adnuiſti gratiam habeo perſequar
Per ordinem dixiſſe ex iſto loco
A fer po eta videtur ne quid nimis:
Vt videtũr quidem huc pertinere.
Vterqꝫ ſenſus italus ſeu dorius:
Fandi tacendi vicinus ſumni modus
Beneficiorum gratiarum iniurie
Studij laborum vita in omni quicquid eſt
Iſtum requirit optime pauſe modum
Dixi recedas ſit modus: venit thales:

Thales

Mileſius ſum thales: aquam qui principem
Rebus creandis dixi: vt vates pindarus.
Dedere piſcatores extractum mari
Namqꝫ hi iubente delio me legerant:
Quod munus hoc ſapienti miſerat:
Ego recuſans non recepi: ſed reddidi
Ferendum ad alios quos priores crederem.
Dein per omnes ſeptem ſapientes viros
Miſſum ac remiſſum rurſus ad me deferunt.
Ego receptum conſecraui apollini.
Nam is ſapientem deligi phebus iubet:
Non hominem quemqꝫ ſed deum credi decet:

Js qui ego ſum: cauſa ſed in ſcenam fuit
Mihi prodeundi: que duobus ante me
Aſſertor vt ſententie fierem mee:
Ea diſplicebit: non tamen prudentibus
Quos docuit vſus ⁊ peritos reddidit.
ecce dicimus
Latinum eſt. ſponte noxa preſto tibi eſt:
Per mille poſſum currere exempla: vt probem
Predes vadeſqꝫ penitudinis reos:
Sed nolo nominatim quenqꝫ dicere.
Sibi quiſqꝫ veſtrum dicat ⁊ ſecum putet:
Spondere quantis damno fuerit ⁊ malo:
Gratum hoc officium manet ambobus tamen
Pars plaudite ergo: pars offenſi explaudite

¶ Bias

Bias prieneus dixi:
Latine dictum ſuſpicor. plures mali:
Dixiſſe nollem: veritas odium parit:
Malos ſed imperitos dixi ⁊ barbaros
Qui ius equū ſacros mores negligunt
Nam populus iſte: quo theatrum cingitur:
Totus beatorum eſt: hoſtium tellus habet
Dixiſſe quos me credite plures malos.
Sed nemo quiſquā tam malus iudex fuit
Qui non amborum partibus ſe copulet:
Siue ille vere bonus eſt: ſeu dici ſtudet
Jam fugit illum in viſum nomen mali:
Abeo: valete: ⁊ plaudite plures boni.

¶ Pittacus

Mitylena ortus pittacus ſum leſbius
qui dixit ſententiam
Sed iſte tempus vt nouis monet
Et eſſe tempeſtiuū quod vocant.
Romana ſic eſt vox veni in tempore
Veſter quoqꝫ comicus terentius

Rerum omnium eſſe primum tempus autumat:
Ad antiphilam quo venerat ſeruos dromo
Nullo impeditam temporis ſeruans vicem.
Reputate cuncti quotus offenſam incidat
Spectata cui non fuerit opportunitas
Tempus me abire: ne moleſtus: plaudite

¶ Periander

Ephyra creatus periander huc prodeo
qui dixi: ⁊ dictum probo.
Meditationem eſſe totum quod geras.
Is quippe ſolus rei gerende eſt efficax
Meditatur omne qui prius negotium.
Aduerſa rerum vel ſecunda predicat
Meditanda cunctis comicus terentius::
Locare ſedes: bellum gerere: aut ponere
Magnas: modicaſq͡ʒ res etiam paruas quoq͡ʒ
Agere volentem ſemper meditari decet
Nam ſegniores omnes inceptis nouis.
Meditatio ſi rei gerende defuit
Nihil eſt ꝙ ampliorem curam poſtulet
Quam cogitare qui gerendum ſit: dehinc
Incogitantes ſors non conſilium regit
Sed ego me ad partes iam recipio. plaudite
Meditati vt veſtram rem curetis publicam.

Finit ludus Septem Sapientum.

❡ Beati Hieronymi preſbyteri ad Magnũ Oratorem vrbis Ro-
me ſatiſfacientis illius queſtioni cur ſecularium litterarum vtere-
tur exemplis. vbi imitamẽto Pauli Apoſtoli et omniũ fere Apo-
ſtolicorũ tractatuũ docet philoſophorum ac poetarum preſertim
ad confirmationem noſtrorum dogmatum poſſe deduci.

Vſebium noſtrũ tuis monitis profeciſſe. nõ tam epiſtola
tua q̄ ipſius penitudine didicimus. Et mirum in modũ
plus correptus placuit q̄ errans leſerat. Certauerũt inter
ſe indulgentia parentis et filij pietas. dum alter preteritorum nõ
meminit. alter in futurum quoq; officia pollicet̄. vnde et mutuo
nobis tibiq; gaudendum eſt. quia nos filium recepimus. tu diſci-
pulum cõprobaſti. Quod autem queris in calce epiſtole tue. Cur
in opuſculis noſtris ſecularium litterarum interdũ ponamus ex-
empla et candorem eccleſie ethnicorum ſordibus polluamus? Re-
ſponſum breuiter habeto. Nunq̄ hoc quereres. niſi te totum Tul-
lius poſſideret. ſi ſcripturas ſanctas legeres. ſi interpretes earum
omiſſo ſupercilio euolueres. Quis enim neſciat. ⁊ in Moyſe. et in
prophetarum voluminibus. quedã aſſumpta de gentilium libris?
Et Salomonem philoſophis Thiri ⁊ nõnulla ꝓpoſuiſſe. ⁊ aliqua
reſpondiſſe. Vnde in exordio prouerbiorum cõmonet. vt intelliga-
mus ſermones prudentie verſutaſq; verborũ parabolas. ⁊ obſcu-
rum ſermonẽ. dicta ſapientũ. ⁊ enigmata. que proprie dialeticorũ
⁊ philoſophorum ſunt. Sed ⁊ Paulus Apoſtolus Epimenidis po-
ete abuſus verſiculo eſt: ſcribens ad Titum

Cretenſes ſemper mendaces
male beſtie vẽtris pigri. Cuius heroici hemiſtichium poſtea Calli-
machus vſurpauit. Nec mirum ſi apud latinos metrũ non ſeruet
ad verbum expreſſa tranſlatio. cum Homerus eadem lingua ver-
ſus in proſam. vix cohereat. In alia quoq; epiſtola Menandri po-
nit ſenariũ

id eſt Corrumpunt eñ mores bonos confabulationes peſſime. et
apud athenenſes in Martis curia diſputans. Aratũ teſtem vocat.
Ipſius enim ⁊ genus ſumus. quod grece dicit̄

Et eſt clauſula verſus heroici. ac ne pa-
rum hoc eſſet. ductor chriſtiani exercitus. ⁊ orator inuictus. ꝓ Chri-
ſto cauſam agens. etiam inſcriptionẽ fortuitam. arte torquet in ar-
gumentũ fidei. didicerat enim a vero Dauid extorquere de mani-
bus hoſtiuz gladium. ⁊ Golie ſupbiſſimi caput proprio mucrone-

truncate. Legerat in Deutronomio. domini voce p̄ceptū mulie-
ris captiue radendū caput ſupercilia. oēs pilos. ⁊ vngues corporis
amputandos ⁊ ſic eam habenda in cōiugio. Quid ergo mirū ſi et
ego ſapientiā ſecularem propter eloquij venuſtatem: ⁊ membrorū
pulchritudinē de ancilla atqꝫ captiua Jſraelitem facere cupio. ⁊ ſi
quicquid in ea mortuū eſt idolatrie voluptatis erroris: libidinum
ve precido vel rado. Et mixtuſ puriſſimo corpori vernaculos ex ea
genero dn̄o ſabaoth: Labor meus in familia chriſti proficit. ſtuprū
in alienā auget numerū conſeruorum. Oſee accepit vxorem forni
cariā. Gomer filiam Debelaim id eſt dulcedinū ⁊ naſcit̄ ei de me-
retrice filius Jſrael. qui vocatur ſemen dei. Eſaias nouacula acuta
barbam ⁊ crura radit peccantiū. Et Ezechiel in Tipo fornicantis
Hieruſalem tondet ceſariem ſuam. vt quicquid in ea abſqꝫ ſenſu.
⁊ vita eſt auferatur. Cyprianus vir eloquentia pollens. ⁊ martirio
firmiano narrante mordet̄. cur aduerſus Demetrianū ſcribens. te
ſtimonijs vſus ſit Prophetarū ⁊ Apoſtolorum. que ille ficta ⁊ cō-
menticia eſſe dicebat. ⁊ non potius Philoſophorū. ac poetarum
quorum auctoritati. vt ethnicus cōtra ire non poterat. Scripſerūt
contra nos celſus atqꝫ Porphirius priori Origeneſ. alteri Metho-
diuſ. Euſebius. ⁊ Apollinaris fortiſſime reſponderunt. Quorum
Origenes octo ſcripſit libros. Methodius vſqꝫ ad decemmilia p̄ce
dit verſuū. Euſebius ⁊ Apollonaris vigintiquinqꝫ ⁊ triginta vo-
lumina cōdiderunt. Lege eos ⁊ inuenies nos cōparatione eorum
imperitiſſimos. Et poſt tanti temporis otium. vix quaſi per ſom
nium quod pueri didicimus recordari. Julianus Auguſtus ſepte̅
libros in expeditione Parthica aduerſum Chriſtum euomuit. et
iuxta fabulas poetarum ſuo ſe enſe lacerauit. ſi contra hunc ſcri-
bere temptauero. puto interdices mihi. ne rabidū canem philoſo-
phorum ⁊ Stoicorum doctrinis. id eſt Herculis claua repercutiā
quamqꝫ Nazarenū noſtrum. ⁊ vt ipſe ſolebat dicere Galileum. ſta
tim in prelio ſenſerit. ⁊ mercedem lingue putidiſſime contumelijſ
perfoſſus acceperit. Joſephus antiquitatē approbans Judaici po
puli. duos libros ſcripſit contra Appionē Alexandrinū grama-
ticum. ⁊ tanta ſecularū profert teſtimonia. vt mihi miraculū ſub
eat. quomodo vir hebreus ⁊ ab īfantia ſacris litteris eruditus cun
tam grecoꝝ bibliothecā euoluerit. Quid loquar de Philone. quē
vel alterum. vel ſecundum iudeum Platonē. critici pronunctiāt
Curram per ſingulos.. quadratus Apoſtolorū diſcipulus. ⁊ Athe-
nienſis pontifex Eccleſie nōne aduano principi Eleuſine ſacra in-

uiſenti librum pro noſtra religione tradidit: ⁊ tante admirationis
oim fuit. vt p̄ſecutionē grauiſſimã illius excellēs ſedaret ingeniū
Ariſtides phs vir eloquentiſſimus eidem principi Apologeticum
pro Chriſtianis obtulit contextū philoſophorum ſentētijs. quem
imitatus poſtea Juſtinus ⁊ ipſe philoſophus Antonio pio ⁊ filijs
eius ſenatuiq; librum contra gentes tradidit. defendens ignomi-
niam crucis. ⁊ reſurrectionē Chriſti tota predicãs libertate. Quid
loquar de Melitone Sardenſi epiſcopo. Quid de Apollinare hi-
eropolitane Eccleſie ſacerdote: Dioniſioq; Corintheorū epiſcopo
⁊ Tatiano. ⁊ Bardaſſane ⁊ Hereneo. Photini Martyris ſucceſſo-
re. qui Origenis hereſeon ſingularum venena ex quibus philoſo
phorum fontibus emanarint. multis voluminibus explicarunt.
Pantenus ſtoice ſecte philoſophus ob p̄cipue eruditionis gloriam
a Demetrio Alexandrie epiſcopo miſſus eſt in Indiam vt Chri-
ſtum apud Brachmãnas. ⁊ illius gētis philoſophos p̄dicaret: Cle-
mens Alexandrine eccleſie preſbiter meo iuditio omnium erudi-
tiſſimus. octo ſcripſit ſtromatum libros ⁊ to tidem
id eſt diſputationū. ⁊ aliū cõtra gentes pedagogi
quoq; tria volumina. quid in illis indoctū. imo quid non e media
philoſophia eſt. Hunc imitatus Origenes decem ſcripſit ſtroma-
teas Chriſtianorum ⁊ philoſophorum inter ſe ſententias compa-
rans ⁊ omnia noſtre religionis dogmata. de Platone ⁊ Areſtotile
Numenio. Curnutoq; confirmans. Scripſit ⁊ Miliciades contra
gentes volumen egregium Hippolitus quoq; . ⁊ apollonius Ro-
mane vrbis ſenatores propria opuſcula condiderunt: Extant ⁊ Ju
lij africani libri qui temporū ſcripſit hiſtorias. ⁊ Theodori qui po-
ſtea Gregorius appelatus eſt viri apoſtolicorū ſignorum atq; vir-
tutū. et Dioniſij alexandrini epiſcopi anatolij quoq; Laodicene
eccleſie ſacerdotis. necnon preſbyterorū Panphili pierij Luciani
Malthionis Euſebij Ceſarienſis epiſcopi ⁊ Euſtachij antiocheni. ⁊
Athanaſij alexandrini Euſebij quoq; emiſeni. ⁊ Triphylli Ciprij ⁊
aſterij ſcitopolite. ⁊ Serapionis confeſſoris. Titi quoq; Boſtrenſiſ
epiſcopi. Capadocūq; Baſilij gregorij amphilochij. qui omnes in
tantū philoſophorū doctrinis atq; ſententijs ſuos refarciūt libros
. vt neſcias quid in illis primū admirari debeas. eruditionē ſeculi
an ſcientiam ſcripturarū. Veniam ad latinos. quid Tertulliano e-
ruditius. quid acutius apologeticus eius. ⁊ contra gentes libri cū-
ctam ſeculi continent diſciplinam minutius felix cauſidicus Ro-
mani fori in libro cui titulus octauus eſt: ⁊ in altero contra mathe

maticos. ſi tamen inſcriptio non mentit᷑ auctorem. quid gentilium ſcripturarum dimiſit intactum. Septem libros aduerſus gentes Arnobius edidit. totidemqꝫ diſcipulus eius. Lactantius qui de ira quoqꝫ ⁊ opificio dei duo volumina condidit. quos ſi legere volueris dialogum Ciceronis in eis repeties. Victorino martyri in libris ſuis licet deſit eruditio. tamen non deeſt eruditionis voluntas. Cyprianus quod idola dij nō ſunt. qua breuitate. qua hyſtoriarum omniū ſcientia. quoqꝫ verborū ⁊ ſenſuum ſplendore preſtrinxit Hylarius meorum confeſſor temporum et Epiſcopus xij. Quintiliani libro ⁊ ſtilo imitatus eſt. ⁊ numero breuiqꝫ libello. quem ſcripſit contra Dioſcorum medicum. quid in litteris poſſit oſtendit. Iuuencuſqꝫ preſbyter ſub Conſtantino hyſtoriam domini ſaluatoris verſibus explicauit. nec pertimuit Euangelij veritatem ſub metri legis mittere. De ceteris vel mortuis vel viuentibus taceo. quorum inſcriptis ſuis ⁊ vires manifeſte ſunt. ⁊ voluntas. Nec ſtatim praua opinione fallaris contra gentes hoc eſſe licitum. In alijs diſputationibus diſſimulandum. quia omnes pene omnium libri exceptis ijs. qui cum Epicuro litteras nō didicerunt. eruditōis doctrineqꝫ pleniſſimi ſunt. Quamq̄ ego illud magis reor. quod dictanti venit in mentem. non te ignorare quod ſemper a doctiſ viris vſurpatum eſt. ſed per te mihi proponi ab alio queſtionem. qui forſitan propter amorem hiſtoriarum ſaluſtij Calphurnus cognomento lanarius ſit. Cui queſo vt ſuadeas ne veſcentium dentibus edentulus inuideat ⁊ oculos capreaꝝ talpa contemnat. diues vt cernis ad diſputandum materia. ſed iam epiſtolariſ anguſtia finienda eſt.

❡ Impreſſum Vienne ductu Contradi
Celtis Anno M Quingētesimo ſeculari

G. RAUTHER
[illegible]
1861